



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Argumenta contra prædictam sententiam. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Mirandul.
Durandus

tiam praesentes nunquam esse, sed abusive: huius sententiae aliquos suo tempore fuisse, refert Mirandulanus Apologia 1. de sensu animae Christi ad infelices durandus quoque in 1. disp. 17. q. 1. nu. 22. refert opinionem asserentium angelum esse tantum in loco eo modo, quo causa dicitur esse in effectu: quam sententiam sequutus est Bernardus in tractatu de motu angeli q. 1. art. 1. collocat enim angelum in loco non secundum propinquitatem substantiae, sed secundum ordinem eo modo, quo causa dicitur esse in effectu. Sunt etiam nonnulli Thomistae, quos seq. disput. c. 2. commemorabimus, qui asserunt angelum non esse in caelo Empyreo, ut in loco secundum propinquitatem substantiae suae, sed, nescio, quaaliam ratione: verum hi non negant in vniuersum angelos in loco esse. Aliqui etiam hanc sententiam Durando adscribunt, cum reuera ipse illam rejiciat: solum docet, eos in loco esse latiori quadam significatione, proprie autem corporibus conuenire in loco esse: non tamen negat praesentiam eorum secundum substantiam, sed determinatum locum & situm, ut seq. disp. patebit.

2. Ceterum catholica sententia est, angelos posse vere esse in loco secundum suam substantiam praesentes: & oppositum asserit haeticum esse S. Thom. in 1. disp. 37. q. 1. art. 1. quam quidem sententiam sequuntur omnes scholastici, quotquot sequenti disput. commemorabimus. Primum autem probatur ex Patribus Nazianz. orat. 34. in fine, quae est 2. Theologiae, de angelis sic loquitur, *Vbiue impigre adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturae leuitatem*: quae verba nequeunt intelligi, nisi de praesentia substantiae ipsorum. Athanasius in Epist. ad Serapionem de Spiritu sancto, longe a fine, inter Spiritum sanctum, & creatum spiritum hoc inter esse dicit, quod Spiritus sanctus sit vbiue, sed spiritus creatus in certis locis: imo affirmat, angelos loco circumscribi. Hoc eodem modo loquendi videtur Damasc. quem infra explicabimus, Gregor. Nyss. orat. de infantibus, qui premature arripuntur, circa medium, docet, angelorum domicilium caelum esse, quia illa sedes naturae conuenit eorum. Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. ante med. ait, angelos loco circumscribi, quia non versantur in terra, cum sunt in caelo; nec in caelo remanent, quando a Deo ad terram mittuntur. Gregor. lib. 1. moral. cap. 2. & hom. 34. in Euang. docet, angelos esse loco circumscriptos, & ad nos frequenter mitti, quamuis intellectu semper in diuina contemplatione maneant. Ad stipulanturque huius sententiae Patres, qui asserunt, angelos moueri, quos disp. 194. ca. 2. referemus. Conantur vero nonnulli eandem doctrinam ex Scriptura colligere, primum ex illo Apoc. 12. ubi describitur praelium Michaelis cum Dracone, & angelis eius in caelo, & subditur, *Et locum eorum amplius inuentus non est in caelo*: Deinde ex illo Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem*: Ex his tamen locis nihil probari disp. 224. manifestum erit. Melius confirmari potest illis locis Scripturae, quibus disputatio 194. cap. 2. monstrabimus, angelum loco moueri: nam si mouetur loco, necesse est in loco esse.

CAPVT II.

Argumenta contra praedictam sententiam.

Contra ea, quae diximus videntur esse aliqua Patrum testimonia. Primum Damasc. lib. 1. de fide cap. 17. in principio, de angelo ait, *In loco tamen*

esse dicitur, quia intellectuali modo adest, atque ut ipsius naturae consentaneum est, operatur; nec alibi est, verum intellectuali in modum illis circumscriptum, ubi operatur, neque enim in pluribus, ac diuersis locis eodem tempore operari potest. Vbi videtur dicere, angelum non esse in loco secundum veram substantiae suae praesentiam, sed secundum effectum, vel propter conuenientiam tantum naturae suae cum aliquo loco. Respondeo modum intellectualem existere in loco apud Damasc. non esse sine reali praesentia substantiae, sed sine mole quantitatis, sicut sunt corpora ratione formae & figurae corporeae. Dixerat enim Damasc. *Angelus autem est corporis in modum non ita in loco continetur, ut formas ac figuram recipiat*: & continuo subiungit verba recitata, *In loco tamen esse dicitur, &c. quia intellectuali modo adest, &c.* Dixit intellectuali modo, quia modo indistinctibili in loco est totus in toto, & totus in qualibet parte. Hoc ipsum significauit Augustinus 8. de Genes. ad litteram ca. 20. & 26. cum ait, creaturam corpoream moueri per loca & tempora; spiritualement vero solum per tempora; Deum autem nec per loca, nec per tempora. Intelligit enim, spiritum non moueri per loca ad modum corporis secundum figuram, & formam circumscribendo sibi locum, quia intellectuali modo loco est praesens; hoc autem dixit secundum opinionem eorum, qui asserunt; angelos esse incorporeos: nam qui dicunt esse corporeos, quorum sententiam etiam Augustinus aliquibus in locis videtur sequutus, ut disputatio 179. cap. 2. retulimus, fatent quoque debent, angelos moueri per loca ad modum corporum.

Deinde contra praedicta videtur esse idem Augustinus, lib. 8. questionum questione 20. ubi inquit, locum Dei abusive dici templum Dei. Si ergo Deus abusive dicitur esse in loco, multo magis Angelus. Respondeo ibi appellasse locum Dei abusive, templum, in quo colitur, non quia abusive sit ibi eius substantia; sed quia templum abusive dicitur Deum continere, cum reuera Deus intra & extra sit. Subiungit enim statim, *Non quod eo continetur, sed quod ei praesens sit*. Supra etiam dixerat, quod continetur loco corpus esse. Loquitur ergo de loco continente, non de praesentia reali secundum locum. Est autem duplex modus existendi in loco, vnus secundum figuram, quem communiter appellamus circumscriptum, & solum conuenit corporibus: alter vero secundum praesentiam simplicem, & communiter dicitur in angelis definitius, quia ita definite substantia spiritualis creata est praesens vni loco, ut non sit alteri: interdum tamen substantiae angelicae dicitur loco circumscribi. Sic loquuntur Damascenus Damasc. 2. de fide cap. 3. Athanasius, & Gregorius Magnus locis citatis in primo cap. Theodoretus qu. 3. super Genes. Theod. verum ut recte explicat Gregor. Ar. in lib. in secundum Gregor. Ar. dist. 2. qu. 2. artic. 2. Mar. in secundum qu. 2. artic. 2. in fine, idem apud patres est, angelum describi loco, quod loco peculiari definiti & limitati: nam soli Deo conuenit, esse in rebus, & in toto vniuerso non definitum, quia eo modo est in toto, ut eius immensitas eo loco non finiatur, & terminetur, at substantia angeli peculiari loco limitatur, eo quod in alio simul esse nequit.

Interpretatio
Damasc.

4.

Augustinus.

Augustinus.

5.

Damasc.

Theod.

Gregor. Ar.

Mar. in fine.

DISPUT.